DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,

QUÆDAM

DE SANGUINIS DETRACTI VIRIBUS,
QUIBUSDAM IN MORBIS MEDENDIS,

COMPLECTENS.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,

QUÆDAM

DE SANGUINIS DETRACTI VIRIBUS, QUIBUSDAM IN MORBIS MEDENDIS,

COMPLECTENS.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

ROBERTUS DONALDUS M'LELLAN,

SCOTUS.

COLLEG. REG. EDIN. CHIRURG. PERMISSUS.

——— *O Medici mediam pertundite venam.*

Juv. Sat. 6. v. 46.

Calendis Augusti, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT OLIVER ET BOYD.

MDCCCXXV.

VIRO LECTISSIMO,

GULIELMO M'LELLAN,

DE KELTONIA SUPERIORE

IN COMITATU DUMFRIESIENSI,

ARMIGERO,

QUI SIBI PATRUM OPTIMUS ET EST ET SEMPER FUIT,

OPUSCULUM HOCCE,

STUDIORUM IN ARTE MEDICA SUORUM

PRIMITIAS,

INTEMERANDÆ PIETATIS, ANIMIQUE GRATI PIGNUS

SACRUM VULT

FILIUS.

NECNON,

ANDREÆ DUNCAN, JUNIORI, M. D. S. R. E. S.

MATERIÆ MEDICÆ IN SCHOLA EDINENSI PROFESSORI,

INGENII EJUS STUDIOSUS,

BENIGNITATIS SUÆ ETIAM REMINISCENS,

DISSERTATIONEM HANCCE

SUMMA CUM OBSERVANTIA

D. D. D. QUE

AUCTOR.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

SANGUINIS DETRACTI VIRIBUS QUIBUSDAM IN MORBIS MEDENDIS.

AUCTORE ROBERTO D. M'LELLAN.

PROŒMIUM.

Inter remedia omnia, quibus vel occurritur vel succurritur morbis, illud de quo, animus est mihi, summos honores summaque privilegia in medicina ambienti, eaque de causa, morem statutis Academiæ solennibus libentissime; at quâ par est diffidentiâ, gesturo, sermonem facere, attentionem medici maximam, jure, ni fallor, sibi vindicat, quippe quod rite matureque

adhibitum, effectus præstantissimos edat, ægrumque haud raro faucibus orci, feliciter eripiat.

Quin vero perperam in auxilium vocatum, remedium de quo agitur, ægrotanti plurimum obsit, non inficias ibo, hincque ratio patet, quare medici, cum de morbis in quibus sanguis detractus ægro prodesset, tum de quantitate fluidi vitalis commodè detrahendi, et olim multum inter se dissidebant, et adhuc quidem dissident.

Ratione et ad corporis humani constitutionem, et ad phenomena quæ morbi præ se ferunt, causasque necnon morborum ipsas, rite habita, sanguinem missum ægris multis in exemplis profuturum, medicis, priscis etiam temporibus, persuasum fuisse, vix aut ne vix quidem, dubitare possumus. Opinionem hancce ratam reverà habemus. Hippocrates, etenim medicorum et pater et facile princeps, auxilium a remedio, de quo fusius, paginis sequentibus, disceptaturus sum, sæpiùs petit, remediumque seculis etiam prioribus, medicis aliis in usum vocatum fuisse, verisimilius est; rem ita sese habuisse, conjecturâ saltem augurari liceat.

QUÆDAM DE REMEDII HISTORIA PRÆFANDA.

Hippocratem, in morbis curandis, venam interdum pertudisse, ex operibus suis, quæ temporis dente parum erosa, nobis adhuc supersunt; scriptisque auctorum quorundam aliorum, qui infra medici hujusce eximii ætatem vixerunt, perlectis, facile discimus; quatenus attamen, remedio hocce ille senex nunquam non venerandus revera nitebatur, quibusve in affectionibus morbosis, præsidium ab eo petebat, ne certiores quidem facti sumus.

Medici alii, hisce temporibus priscis, vestigia artis Apollineæ patris, sine multo discrimine, premisse videntur.

Celsus, in morbis inflammatione stipatis, morbisque aliis acutis curandis, ad sanguinis missionem confugere solebat: quin etiam, in febribus vel evitandis vel medendis, phlebotomia, in his veruntamen cautius, utebatur.

Galenus sanguinis detractionem de meliore nota discipulis suis commendabat; medicoque

hocce doctissimo, in scholis Europeis medicis, usque ad medium seculum decimum et septimum plurimum valente, medicinam facientes, vel plerique vel omnes, et de remedii hujusce usu, et de rebus medicis omnibus aliis, ei morem promptissimè gerebant.

Verumenimvero, quibusdam in regionibus, Galeni placita, dogmatave, apud medicos plus valuere, quam Præceptor ipse unquam statuerat; quibusdam attamen in aliis, limitibus multo angustioribus sane circumscribebantur. Hinc ratio patet quarè, in Hispania et Philippo secundo regnante, et etiam seriùs, medici, ratione ad morbi naturam vix ac ne vix quidem habita, sanguinem copiosissimè detrahebant. In Germania vero, medici fluidum vitale maximi fecerunt, ideoque, in sanguine mittendo, unciarum paucarum modum, vel rarissimè vel nunquam transierunt.

Inter medicos qui in Insula hacce, leges, in sanguine misso obtemperandas, primi statuere, Sydenhamus in arte medica jure celeberrimus, neminique, me judice, secundus, longe longèque eminet. Medicus hicce, et peritissimus et ob-

servantissimus, naturæ marte proprio studiosus, opiniones theoriasque inanes haud paucas, seculo suo immerito prævalentes, in contemptu citius habuit, phenomenisque morborum, quæ ei ante oculos in dies versabantur, judicio acri digestis, medicinæ praxin rationi consentaneam, ægrotisque sanitatem certius ferentem, in empiricis locum promptius substituit.

Auctor hicce eximius exempla perplurima utilitatis remedii hujusce summæ, in morbis variis vel obstandis vel curandis, in operibus ejus diversis, in medio posuit, scriptisque suis rite perlectis, eum summa utilitate summaque cum confidentia, venam, in affectionibus morbosis diversis, secuisse, sanguinemque liberrime misisse, clarè observamus.

Quod ad remedii hujusce usum, in febribus curandis, quidem pertinet, medicos haud paucos, nostris temporibus, praxi Sydenhamiæ, in morbis hisce profligandis, multum arridere, observare liceat.

Curriculo vitæ Sydenhami peracto, et Boerhavius et etiam Hoffmanus, sanguinem missum, in morbis diversis sanandis, magni duxe-

runt. Ad remedii hujusce effectus, Hoffmannus utpote animum sedulo advertisse videtur; viresque phlebotomiæ experientiâ doctus, quibusdam in morbis qui, medicis ejusdem seculi, vel plerisque vel omnibus judicibus, methodum medendi prorsus alienam, certo certius requiissent, hydrope potissimum, sanguinem libera manu detrahebat. Praxin attamen Hoffmanni, ut paginis sequentibus patebit, medicorum hodiernorum usu experientiaque, satis superque ratam, ni fallor habemus.

Verumenimvero, consilia sana de venæsectione Hoffmanno tradita, apud medicos recentiores, plurimum valuisse parum videntur, eaque de causa, ne remedio de quo agitur, pro viribus ejus eximiis, in morbis perpluri-mis medendis, rite quidem fisi sunt; at potius, usum ejus sæpius perperam despexerunt.

Cullenus noster jure celeberrimus, discipulique ejus vel plerique vel omnes, consiliis theoreticis plus justo nitentes, sanguinis missionem limitibus nimis arctis, in classe morborum una, attentione medici summa, ex confesso, digna, male circumscripserunt; dogmatisque Brunonis

prævalentibus, remedium hocce acie penitus profligatum fuit.

In febribus, remedium de quo disputatur, omnino proscriptum fuit, quippe quod, proclivitate ad mortem, quæ hisce in morbis inest, Culleno et judicante et loquente, viam promptiùs sternat. Vini rubri Lusitanici lbij vel etiam plures rite hauriendæ, in locum uniuscujusque sanguinis unciæ, consiliis vetustioribus mittendæ, suppositæ fuerunt. Exinanitiones, ne longum faciam, omnigenæ, quippe quæ vires vitæ male diminuant in vituperationem summam cedidere, stimulantiaque potentissima ubique florerent et dominarentur.*

Commoda, veruntamen, stimulantibus manibus plenis adhibitis, oriunda, in dubium tandem venerunt; placitis Brunonis fama pedententim exutis, medici a sanguine misso in morbis curandis, ne diutius quidem abhorruere. In libris medicis plerisque in lucem nuperius editis, remedium de quo agitur, laude idonea affectum

* Medici Germanici diversi Sthalius discipulique ejus olim, a sanguine misso utpote abhorebant; scholarum, in eadem regione medicarum plerique alumni de dogmatis Brunonis vi et armis, nuperius certabant.

invenimus, scriptoresque haud pauci, fide prorsus digni, sane monent, ut sanguinem multo copiosiùs et largiùs ac antea, affectionibusque morbosis diversis, in quibus, majoribus nostris judicibus, fluidum vitale hocce missum, ægris aut obesset, aut saltem, allevationem nullam iis afferret, detrahamus.

In hoc statu rerum, medici complures, qui sanguinis missioni tempestive cauteque adhibitæ multum sane arrident, revera timent, ne remedii nostri eximii fautores Charybdim quidem evitare jure cupientes, in Scyllam infeliciter incidant.

Hisce, de remedii nostri historia, labris primoribus, propositis, pauca de effectibus sanguinis dispendio ortis, quibusdamque rebus aliis, observatu haud indignis, præfari lubet, ante memetipsum quam ad meum munus pensumque proprium accingam.

DE EFFECTIBUS SANGUINIS MISSI GENERALIBUS.

Inter humores corporis humani omnes, sanguis maximi momenti jure habendus est, quippe

qui alios omnes gignat, vasisque sanguiferis ipsis, stimulum necessarium, magna ex parte, præbeat. Caloris animalis fons præcipuus necnon habeatur oportet, organaque corporis diversa rite alit. Rebus ita sese habentibus, effectus fluidi vitalis hujusce detracti, comprehensu ne difficile quidem est.

Sanguine misso, vires et cordis et arteriarum, vires, scilicet, ope quarum sanguis ipse per organa corporis varia propellitur, diminuantur utpote oportet, signaque diminutionis hujusce diversa, nobis ante oculos revera versantur: Arteriarum, nimirum, pulsus et tardiores et debiliores evadunt; pallor vultum facile obducit, corporisque superficies externa, artus utique frigescunt; depletioneque hacce gradum certum superante, et nausea et etiam vomitus excitantur. Syncope tandem supervenit, functionesque vitales cessationem subeunt. Animi deliquio superveniente, sanguis effluere desinit, eaque de causa, natura bene curante, hæmorrhagiæ funestæ venienti sæpius occurritur.

Vires sanguinis detracti, ad actionem cordis arteriarumque minuendam, physiologis pleris-

que judicibus, stimulo humoris hujusce vitalis diminuto, attribuantur oportet. Sunt et alii veruntamen physiologi, illique haud parvi nominis, qui vires stimulantes in sanguine parum inesse, strenue contendunt; nisique si hi falluntur, actio sive cordis sive arteriarum vi nervorum cuidam incognitæ jure tribuenda est.

In sanguine mittendo, res variæ effectus varios sane edunt: Hinc ratio patet, quare animum ad corporis habitum proprium, ad conditiones mentis diversas, ægrique, sanguine effluente, situm, advertamus oportet. Sanguine demum, situ corporis erecto, detracto, syncope citius ac ægro decumbente, supervenit; remedioque, de quo sermonem facimus, in usum vocato, phenomenon hocce medici attentionem sibi jure vindicat.

Phenomeni hujusce causa in aprico quidem est: corpore etenim erecto, sanguinis in cerebro cursus, multo citius ac in situ horizontali mutationem subit, rationeque haud dissimili, Culleno nostro judice, syncope fluido ascitis, paracentesi facta, educto, sæpius accedens, partibusque relaxatis, perperam attributa, explicatus

faciles habet. Pressura etenim aortæ vasisque abdominalibus magnis sublata, pressioneque ne arte quidem facta, sanguis ob cursum ejus minus impeditum, partes hasce liberius fusiusque ac antea petit, eamque ob causam, vasa cerebri sanguifera subito plus justo deplentur.

Verumenimvero, sanguis e venis eductus, effectus proprios, viribus vitæ morbo obrutis, revera præstat; eoque modo, aliter ac in corpore sano, certo certius agit. Vasorum etenim sanguiferorum aut pleraque aut pauciora, sanguine plus justo distenta, ad contenta sua pariter æqualiterque propellenda, nequaquam valent. Hinc ratio patet quare, portione sanguinis rite detracta, vasis onere gravatis fessisque, optime sæpius succuritur, arteriarumque pulsationes parum debiliores, ut in conditione corporis alia, facile evadere possint; at potius et pleniores, et ad normam exactiores, mutationem salutiferam in sanguinis cursu clare ostendunt.

Quoniam veruntamen in exemplis hujusmodi, arteriarum pulsus depressi venam pertundere vetare, sæpius viderentur, e re ægri

certo certius erit, si ratione, ad signa comitantia, rite habita, medicum penes foret, opinionem de de indicatione præsenti sanam promptamque ferre.

Sunt et alii sanguinis missi effectus, qui signorum singularium in morbo quovis urgentium, vel mitigationi, vel incremento, post remedium hocce in auxilium vocatum, attribuenda veniunt; de his attamen fusius heic loci disserere, nec per otium, nec per locum mihi sane licuerit.

Hisce igitur, de effectibus sanguinis missi generalibus, in medio breviter positis, ad vires humoris ejusdem detracti, quibusdam in morbis curandis, considerandas, transire lubet forsitanque juvabit.

In morbis, Culleno sub ordine phlegmasiarum digestis, medendis, ad venam secandam medicus confugiat, remediaque alia omnia, pro auxiliis solummodo habeat oportet, quippe quæ sive separatim sive conjunctim adhibita, actionis inflammatoriæ vi exitiosæ minime obstare possint. Sanguis etenim fusius pro re nata detractus,

ad actionis hujusce vires frangendas, plerisque in casibus, ni fallor, solummodo valet.

Verumenimvero, sunt et alii haud pauci morbi, in quibus aut sublevandis aut omnino tollendis, venæsectio, prima facie, contraindicari videtur; eaque de causa, medici, de ratione his medendi, olim inter se longe longeque et dissidere et discrepuerunt, medicique hodierni, in rei hujusce summi momenti jure habendæ investigatione, multum tempestive versantur.

Hiscex affectionibus morbosis, paucas, paginis sequentibus, seligere lubet, rationeque ad res, quæ vel sanguinis missionem postulare, vel depletionem hancce contraindicare videntur, rite habita, methodi medendi hujusce indicationes, pro viribus statuere conabimur.

I.—DE SANGUINIS MISSI EFFECTIBUS IN TYPHO CURANDA.

Febris cui typhus nomen est, virium vitae defectum, plerisque in exemplis, sese comitem

præbere, proclivitatemque in putredinem summam, in humoribus morbo hocce laborantûm inesse, scriptores medici vel plerique vel omnes, et operibus et prælectionibus suis, multa per secula strenue docebant. In hac inclinatione rerum, opinione videlicet hacce de natura morbi dominante, medicos ad remedia indoli affectionis morbosæ consentanea promptius confugisse, stimulantiaque potentissima liberius adhibuisse, mirum nobis videri non debet.

Remedia attamen hujuscemodi, viribus scilicet stimulantibus prædita, quæ in typho medenda laude maxima olim floruerant, ægris frequentius multum nocuisse, medicique votis sæpius parum respondisse, inter vel omnes vel plerosque, hisce in temporibus, ni fallor, convenit.

In hoc statu rerum, fautoribus nimirum remediorum stimulantium, in typho sananda, haudquaquam coeptis prospere succedentibus, medici, signis febris hujusce omnibus pathognomonicis, strictius accuratiusque in animis perpensis; rationibusque cautius subductis, indoleque morbi necnon melius cognita, a sententia majorum suorum dissiderunt, rationemque

morbo medendi medicorum antiquorum usui magna ex parte, alienam, summo cum ægrorum commodo coluerunt.

Inter illos qui febrium pathologiam feliciter utiliterque investigavere, Henricum Clutterbuck, M. D., Joannem Armstrong, M. D., Thomam Mills, M. D., Benjaminum Welch, M. D., meum nostratem, heu! ante diem fato iniquo, vivis in terra peregrina ereptum, lubentissime gratoque animo, enumerare velim. Medici illi recentiores omnes, ut ex operibus eorum facile patet, et theoria saniore, et usu experientiaque ducti, animum ad vasorum sanguiferorum conditionem, in stadiis et varietatibus typhi diversis, intentius ac antea animadverterunt, indicationesque curatorias, pro systematiss anguiferi statu, morbo urgente, statuerunt.

Joannis Armstrong theoriam imprimis exponere et lubet, et forsitan juvabit. Medico hocce et ingeniosissimo, et expertissimo judice, in causa febrem excitante, impetu ejus primo, equilibrio inter systema arteriosum, systemaque venosum perturbato, sanguinem, a superficie corporis externa, in partes internas repellendi

proclivitas sane inest. In hoc statu rerum, sanguis male repulsus, viribus cordis diminutis, et congestum in venis gignit, et stadium morbi primum constituit. Sanguis attamen, spatio temporis quodam peracto, cor ad vires proprias iterum exercendas, rite impellit, viribusque organi hujusce hoc modo restitutis, vasa ejus sanguifera omnia in motum cientur, stadiumque morbi excitationis, stadiumve reactionis, nobis ante oculos versatur.

Verumenimvero, in stadio morbi primo, ne sanguis in partibus internis congestus, vires vitæ male obruat, jure timendum est; stadio attamen secundo, æger, actione arteriarum aucta, in discrimen facile venit, actioque vasorum hæcce morbosa, congestûs gradum vel fere, vel semper æquet oportet.

Ratione, veruntamen nec ad theoriam ullam, nec ad symptomata, quæ, morbo cursum suum absolvente, sese ostendunt, habita, periculum ægri capiti, in typhi stadio excitationis imminere, cadavere secto, facile discimus. Corporibus etenim eorum, qui morbo huicce succubuere, post mortem rite inspectis, viscera in una

alterave cavitatum trium majorum, inflammatione correpta, anatomico ante oculos, opinione antiquiore longe longeque crebrius, versantur.

Typhum febresque alias omnes, ortum ab inflammatione, maxima ex parte, ducere, Henrico Clutterbuck persuasisimum quidem est. Quin et, dissertationem in libro ' *Edinburgh Medical and Surgical Journal*' dicto, legendam habemus, in qua cerebrum in febribus inflammatione laborare, auctor summis viribus contendit,* propterea quod, cadaveribus sectis, et injuria visceris cujusvis alius nulla, quæ exitium ægro ferre patuisset, in conspectum venit, et cerebrum solummodo, inflammatione funesta, vestigiis morbi nullis relictis, corripi potuit.

Verumenimvero Broussais, medicus Gallicus, in cadaverum febribus mortuorum investigatione multum versatus, febres omnes, sive *simplices*, sive *complicatas*, sive *putridas*, sive *adynamicas*, sive *malignas*, sive *ataxicas*, ortum,

* Vid Edinburgh Medical and Surgical Journal, anno 1819, tom xv.

a membrana gastro-enterica mucosa inflammata, ducere, nullus dubitat.*

Quin in febribus haud paucis, febribus videlicet, biliosis et mucosis, membrana gastro-enterica mucosa aut diffuse, aut in portionibus ejus circumscriptis, inflammatione, laboret, ne anceps quidem hæreo; indolem attamen et a typho, seu mitiore seu graviore, et a febre maligna, in carceribus, navibus, nosocomiisque sæpius grassante, prorsus alienam in his febribus biliosis, mucosisve inesse, mihi persuasum habeo. In plerisque veruntamen febribus, aut cujusdam visceris, aut partis corporis alius inflammationem, excitatione locali ortam, urgere, animus mihi neutiquam pendet.

Rebus ita sese habentibus, impetu videlicet sanguinis, aut in cerebrum, aut in quoddam viscus aliud, typho sæviente, in animo rite perpenso, quin sanguinis detractio, inter remedia ad morbum subigendum aptissima, jure recensenda veniat, vel nemo vel pauci sunt, qui, si mens me recte monet, dubitare posunt.

* Vid. Examen des Doctrines Medicales et des Systemes de Nosologie, par J. F. V. Broussais.

Medicus, sanguine in typho medenda misso, consilia, me judice, diversa sibi proponat oportet. Inter alia, 1*mo*, *Morbi gradum sistere, si effectus hicce eum penes est, niti debet*; 2*do*, *Morbum, in curriculo suo absolvendo, mitiorem reddere conetur*; 3*tio*, *Cursum ejus contrahere moliatur.*

Sanguine, causa consilium primum absolvendi, detracto, simul ac morbus aegrum tentaverit, actionesque illæ sese ostensuræ sint, quas aliæ moris alieni denique exceperint, medicus venam pertundat oportet. Quod ad sanguinis detrahendi quantitatem quidem attinet, modum nullum statuere licet, idcirco quia, humor vitalis pro ægri ætate, corporis constitutione, consuetudineque vivendi, parcius copiosusve mittendus venit.

Verumenimvero, ægro corporis robore gaudente, vasisque sanguiferis plus justo distentis, sanguis profusius detractus ei periculo nulli erit. Rebus sane ita sese habentibus voti compotes, vix ac ne vix quidem erimus, nisi si sanguinem rivo pleno educamus.

Nec sanguinem attamen missum, nec reme-

dia alia quæcunque in auxilium vocata, ad gradum morbi penitus sistendum, semper valere, facile agnosco; stadia veruntamen morbi sequenda, usu venæsectionis, plerisque in casibus, mitiora reddi, memetipsum persuasissimum habeo, modo quo, medicus etiamsi consilio primo fallitur, consilium secundum, jure plurimi, quidem habendum, feliciter assecutus fuerit.

In signis plerisque, ægris, morbo cursum suum sponte solvente, ærumnas haud parvas ferentibus, medicoque metum dirum injicientibus, sublevandis, sanguis detractus exitus felicissimas haud raro præstat.

Ad stadium morbi excitationis medicus animum advertat oportet, propterea quod, sanguis in organo quovis, ad munera vitæ fungenda, necessario, congestus, actioque inflammatoria certo certius inde oriunda, ægrotatum in discrimen facile injicere possunt. Rebus ita sese habentibus, signa stadium morbi hocce denotantia, dolor, videlicet, capitis, actioque et cordis et arteriarum validior, summa cum cura observentur, oportet.

Quod ad coma, deliriumque quidem pertinet,

quin e sanguine in vasis cerebri capillaribus congesta, ortum educant, ideoque visceris hujusce inflammationis indicia præbeant nullus equidem dubito: Hinc causa in aperto est, quamobrem, venæsectio, signis hisce urgentibus, levamen ægroto sæpius afferret.

Rem ita sese, in febre in hac urbe anno 1817 epidemica, habuisse, Benjaminum Welsh, nuper defunctum, testem fide dignissimum habemus.* Quin et, hirudinibus parti dolenti adhibitis, dolorem statim aut mitigationem subire, aut omnino cessare, insuper observandum est.

In hoc igitur statu rerum, si de commodis quæ sanguis e brachio missus ægro afferret, animus medico unquam perpenderit detractionem ope hirudinum topicam, auxilio insigni ægrotanti sæpius futuram esse, ne anceps equidem hæreo, Gulielmus P. Alison, M. D. Institutionum Medicinæ in Academia nostra Professor Adjut. si quando suspicio de visceribus abdominalibus inflammatione correptis, in febribus infantum

* Vid. Welsh "*On Bloodletting in Fever*" passim.

ei incidisset, se, felice cum exitu, sanguinem per hirudines iterum iterumque eduxisse, auditores ejus in suis prælectionibus certiores fecit.

Arteriarum pulsus, multis in morbis, sanguinis mittendi indicium, nequaquam semper præbere, inter medicos plerosque, ni fallor, liquet; rem, hoc in loco, sæpius esse, in typho, vel nemo vel pauci, me judice, negabunt. Motus etenim arteriarum, exinanitionem hujuscemodi prorsus vetare, haud raro videntur. Vena veruntamen in hac inclinatione rerum pertusa, commodo magno ægro sæpius est, arteriæque radialis ictus, et frequentiores et etiam validiores reddit, eaque de causa, ne medicus, a sanguine detracto, statu pulsus solo, deterreatur; arteriis attamen vel infirme, vel enormiter micantibus, venam cautius secet, oportet.

In stadio typhi extremo, phlebotomia, si mens me recte monet, rarius in usum, tuto vocanda est. Prostratio etenim exinanitioque virum, originem ab actionibus quæ, gradibus morbi antecedentibus, valuerunt, ducentes, ægrum nunc graviter opprimunt: Ad actiones hasce com-

pescendas, sanguis rite matureque missus, pro remediis aliis vel plerisque vel omnibus, certe certius confert; cursu attamen actionum harum finito, consecutionibusque earum nobis ante oculos versatis, sanguis detractus ægro, aut parum, aut ne omnino quidem proderit.

Quin symptomata in gradu morbi hujusce extremo sese interdum ostendant, quibus, sanguine misso, plus minusve succursum est, non inficias equidem ibo; hoc veruntamen in statu rerum, medicus animo et claro et sagaci, et etiam usu experientiaque, procul dubio egebit.

Hisce de sanguinis detracti viribus in illa typhi specie medenda, cui nostrates maxime obnoxii vivunt, traditis, sermonem de remedii ejusdem usu, in specie morbi altera, typho videlicet icterode, febreve Indorum occidentalium flava, brevissime facere et lubet, et forsitan juvabit.

II.—DE SANGUINIS MISSIONE IN TYPHO ICTERODE CURANDA.

Typhum icteroden mihi ante oculos nunquam versatum fuisse, meque scientiam de indole ejus

meam, ex operibus eorum qui medicinam illis in plagis fecerant, hausisse, promptius agnosco. Scriptores medici haud pauci, Hilary observantissimus, Chisolm, Moseley, Jackson accuratissimus, fideque dignissimus, B. Faulkener Eques Baronettus, Bancroft, multis cum aliis, morbi hujusce indolem, phenomenaque, literis mandavere; commentariis horum auctorum rite perlectis, signa inflammationem indicantia, arteriarum nimirum pulsus et plenos et validos, et etiam duros; distensionis generalis sensationem gravem; colorem vultûs rubrum; oculos et rubros, et ex orbitis prominentes, et etiam lachrymantes; cutem et calidam et siccam, morbo huicce, sub initio potissimum, exemplis in perplurimis, sese comites præbere, vix ac ne vix quidem dubitare possumus; phenomenaque, quæ, cadaveribus sectis, sæpius in conspectum venerunt, typhum icteroden, tentamine suo primo utpote, typhum inflammatorium frequentius induisse, satis superque demonstraverunt.

Rebus ita sese habentibus, quin auctores medici, qui indolem putridam, in regionum

calidarum febribus semper inesse, sibi persuadentes, venæsectionem, prorsus interdicunt, in errore maximo versentur, animus mihi neutiquam pendet: Signa putredinis, potiusve humorum dissolutorum, hisce in morbis, citissime supervenire confitendum est: Signa veruntamen prorsus aliena, signa scilicet, et violenta et vires vitæ admodum debilitantia, signis hisce putredinis vel plerumque vel semper antecedunt, viamque iis facile sternunt.

Hinc ratio patet quare, in ægro morbo hocce implicito succurrendo, medicus venam quam primum pertundere debet. Sin autem male cunctaretur, remediumque aut viginti quatuor, aut etiam duodecim horas, post morbi impetum prætermitteret, de effectu bene sperare, parum quidem licet.

Hisce de sanguine in Typho icterode curanda misso, in medio breviter positis, ad remedii ejusdem effectus, in febre altera succurrenda, febre, nimirum, puerperarum, transeundum est.

III.—DE SANGUINIS DETRACTI VIRIBUS IN FEBRE PUERPERARUM MEDENDA.

Puerperæ morbis diversis obnoxiæ vivunt, inter quos febris puerperalis longe longeque eminet, stragesque insignes sæpissime edit. Morbus veruntamen hicce præ se haud raro fert speciem complicatam; at partem ejus maximam, peritonitis certo certius constituit. Sed est et etiam febris puerperalis maligna, quæ vires vitæ magnopere obtundit, e qua puerperarum peritonitis, summa cum difficultate, sæpius discriminanda venit; medicisque expertis haud paucis judicibus, hæc non genere at gradu solummodo, ab illa, revera differt, peritoneumque et in una, et in altera, inflammatione gradu majore minoreve semper corripitur, ideoque in ambabus succurrendis, vasa laborantia, depletionibus debitis, sublevare, medicus nitatur oportet.

Hinc ratio patet quare, in morbo hocce medendo, ad sanguinem detractum, medicus, plerisque in exemplis, quamprimum decurrere de-

bet. Stadio vero excitante peracto, venæsectio et in hac et in febribus aliis omnibus, ut supra ostendimus, noxia saltemve ægrotis minus utilis jure habenda est, gradumque mortis haud raro accelerat. "*In primo febris puerperarum impetu,*" observat Thomas Denman, M. D. nuper defunctus, et in hoc et in morbis puerperarum omnibus aliis, peritissimus exercitatissimusque, "*sanguinis missio prosus necessaria est,*" "Sin *autem,*" medicus idem eximius disserere perget, "*Sin autem, stadium morbi primum abisset, medicus occasionem perdidit, venaque pertusa ægro exitio citius foret.*"

Quin et, Gulielmo Campbell, obstetricio multum exercitato, meoque in arte obstetrica erudito præceptori, idem animus est, causaque morbi hujusce cursum sistendi, scalpello libera manu utitur. Gordon, Armstrong, Hey et pater et filius, medicique alii complures, ab ætate Hippocratica usque ad tempora nostra, methodo eodem febri puerperarum medendi et arriserunt, et arrident.

Verumenimvero, sunt et medici alii diversi, Gulielmus Hunter, M. D. nuper defunctus, in

arte obstetrica nemini secundus, qui sanguinis missionem in febre puerperarum sananda, acerrime vituperant. Hisce etenim, judicibus, puerperæ, sanguinis jacturam ægrius ac aliæ ferunt. Aliter veruntamen prorsus sentio, rationeque ad vasa sanguifera, vel plerumque vel semper sanguine in graviditate distenta, albuminisque quantitatem insignem, quæ, muliere ventrem gerente, in sanguine inest, habita, puerperas, sanguinis depletionem, sine ullo vitæ discrimine, laturas, facile adducor ut credam.

Si animum ad symptomata quæ, morbo hocce urgente, stadio affectionis primo utique, sese ostendunt, advertimus, opinionem hancce satis superque ratam, ni fallor, habebimus. Arteriæ etenim centies et viginti sæpius, interdum vero centies et quadraginta micant; cutis et calida et præter modum sicca evadit; abdomen tumidum dolet, tactumque refugit; ægræ spiritum celerrime respirationibus, scilicet, quadraginta spatio minuti temporis unius, peractis, trahunt: Bilem mucumque evomunt; alvus, plerisquein exemplis, constringitur; sitis magna necnon urget, linguaque et alba et sicca fit. Signa

hæcce omnia, irritationem febrilem, satis superque denotant, ideoque sanguinis missionem, procul dubio, ni fallor, indicant.

Hisce, de sanguinis detracti viribus, in cursu febris puerperarum sistendo, opusculi hujusce lectoribus, ante oculos positis, de remedii hujusce usu, in dysenteria curanda, perpauca verba facere liceat.

IV.—DE USU VENÆSECTIONIS IN DYSENTERIA MEDENDA.

Phlebotomiam dysenteriâ laborantibus sæpius multum prodesse, abdomine potissimum sub pressione dolente, medici haud pauci experti, usu experientiâque compertum habent. Quin et, si diarrhœa torminaque ægrum tentant; si cephalalgiâ, signisque febris generalis aliis laborant, venam, ratione ad ictus arteriarum debiles nulla habita, medicus pertundi illico jubeat. "*Morbo,*" ait Donaldus Monro, M.D. ad exercitum medicus; ideoque in hoc morbo curando multum exercitatus, "*morbo ineunte, pulsus debilis, sese ab initio affectioni conitem sæpius*

præbens, nos a vena secta nunquam deterruit, ictusque arteriarum inter sanguinem missum, et validiores, et etiam pleniores, haud raro evaserunt."*

Verumenimvero, sanguinem detractum dysenteria ægrotis sæpius profuisse medicos antiquiores minime latuit. Galenus, Aetius, Trallianus, remedium hocce in dysenteria curanda, nobis de meliore nota commendant, morboque, vel impetum primum faciente, vel etiam ingravescente, præsidium e sanguinis missione sæpius, summo cum ægri commodo, petierunt.

Inter remedia in dysenteria adhibenda Riverius venæsectionem collocat; historiasque morbi diversas, in quibus remedium hocce in auxilium, felice cum exitu, vocatum fuit, in lucem, in operibus ejus edidit.

Amatus Lusitanus ægri cujusdam casum, e cujus brachio, die post morbi impetum tricesimo, sanguis missus fuit. "*Exitum,*" inquit ille, "*observatu dignum nota, fluxus sanguinis illico cessavit, diarrhœa attamen perstitit.*"†

* Vid. Dr Donald Monro on the Diseases of the Army.

† A. Cockburn citat. Vid. Cockburn on Fluxes, p. 305

Heister de usu venæsectionis in dysenteria curanda disserens, verbis sequentibus utitur: "*Corporibus ægrorum humoribus abundantibus, calore corporis multum aucto, enteritiden jure metuens, sub morbi initio, venam secavi; sanguis missus allevationem insignem ægris protinus attulit, remediis supra dictis, dein in auxilium vocatis, periculo citius evaserunt.*"*

Botallus, in Libello ejus "*De curatione per missionem sanguinis,*" phlebotomiam in dysenteria sananda, laudibus ad cælum effert; historiasque morbi multas, in quibus ad usum venæsectionis, exitu felice, confugerat, typis vulgavit.

Doctor Whyte, in Libello "*De recta missione sanguinis,*" in vulgus anno 1721 edito, sermonem, de sanguine in dysenteria misso, fusius habet, remediique hujus vires salutiferas laudibus accumulat.

Hisce omnibus, de sanguine, in dysenteria curanda, misso, in animo rite perpensis, vel pauci, me judice, vel nemo sunt, qui de remedii

* Vid. Heisteri Observationes, &c. p. 100.

hujusce rite cauteque adhibiti utilitate, ancipites hærere possunt.

Ad sanguinis missi effectus, in morbis quibusdam febre stipatis sanandis, animum supra advertimus: Restat ut de remedii nostri viribus, in alio morbo typum alienum plerumque præ se ferente, hydrope, scilicet, vel sublevando vel omnino tollendo, verba pauca faciamus.

V.—DE SANGUINIS MISSI USU IN HYDROPE MEDENDO.

In morbis hydropicis curandis, venæsectio, apud medicos plerosque, ne plurimum quidem pollet, causaque existimationis ejus defectæ in aprico est. Affectionibus etenim hydropicis laborantes ætate provectiores existunt, habitusque corporis et laxus et squalidus, plerisque in casibus, iis sane inest. Hinc ratio patet quare, hydrops corpora debilitata enervataque vel plerumque vel semper corripere observatur.

Quin in hydrope indolem hancce sibi vindicante, sanguinis missio ægro aut parum aut ne

omnino quidem profuerit, nullus equidem dubito. Sunt et attamen affectiones hydropicæ aliæ, natura penitus aliena præditæ, quæ nobis ante oculos haud raro versantur: hisque methodo diversa, ni fallor, medendum est, medicique attentionem in has summam, nuperius merito converterunt.

Benjaminus Rush, M.D. nuper defunctus, medicus Americanus et eruditus et expertus, nemini quidem secundus, hydropes in atonicos tonicosque, primus divisit; hisque tentatis succurrere, sanguine haud parcius detracto, exitu cum felice conatus est.

Blackhall hydropem indolem inflammatoriam haud raro induere nullus dubitat; opinionemque suam, de typo morbi hocce, in libro ejus eximio de hydrope, in libello nostro iterum iterumque in sequela citando, passim exponit. Josephus Stock, M. D. Bristoliensis, diathesin sthenicam in hydrope, frequentius ac vulgo putatum est, inesse sibi persuasum habet, hydropemque, medicis quibusdam auctoribus, "*Morbum inflammatorium cui aqua effusa*

sese comitem præbet," definitum esse, nos insuper certiores facit.*

Grapengesser, Medicus Germanicus, Allano Burns nuper defuncto, citatus,† in Dissertatione sua de "*Hydrope plethorico,*" de natura hydropis inflammatoria, sermonem fusius habet. Hydropem inflammatorium, impetum in illos constitutione corporis rubustiore præditos subito; in debiliores vero tardius facere, signisque peripneumoniæ sanguineque tunicam coriaceam albam ostendente, stipatum esse Grapengesser auctor est, morboque epistaxi et frequenti et profusa, venæsectionibus parcioribus, at sæpius repetendis, diureticisque salinis, Grapengesser judice, et melius et citius sæpius occurritur.

Nexum inter hydropem inflammationemque, aciem oculorum medicorum antiquiorum fugisse, ne omnino quidem videtur; morbos etenim inflammatorios viam hydropi haud raro sternere agnoverunt, historiæque morbi diversæ, in operibus eorum legendæ, sanguinis missi in

* Vid. Stock's Medical Collections on Cold, p. 158.

† Vid. Burns on Diseases of the Heart.

hydrope curando, utilitatem satis superque demonstrant.

In anasarca medenda et Alexander Trallianus et Paulus Ægineta venæsectionem nobis de meliore nota commendant.

Sponius, in "*Aphorsimis*" ejus, nobis hydropis historiam, in qua ægro, hydragogis diureticisque in usum incassim adhibitis, venæsectione vigesies repetita succursum fuit.

Franciscus Home, M. D., nuper defunctus, Materiæ Medicæ in nostra Academia olim Professor, morboque hocce, et plerisque aliis multum exercitatus, se septies, diebus septemdecim, sanguinem exitu cum felice detraxisse, sanguinemque tunicam coriaceam albam ostendisse, nos, in libro suo eximio, cui "*Clinical Experiments*" nomen est, certiores facit.

Exempla veruntamen hæcce, auctoritatem vel parvam vel nullam, in medicorum plerorumque praxin habuerunt, qui debilitatem humorumque dissolutionem male timentes, a vena in hydrope curando secta, sese curatissime cohibuerunt.

Verumenimvero cum Rushius hydropi ve-

næsectione sæpius succurrisset, remediique hujusce virtutes, operibus ejus optime prædicasset; medici alii diversi, et exteri et insulæ hujus incolæ, ad sanguinem detractum in hoc morbo medendo, tandem sæpius confugiebat, eoque modo, venæsectio omine meliore, multis in casibus, utenda venit.

Hydropem vero a sanguinis impetu insolito originem sæpius ducere, non solum experientia, sed et etiam rebus haud paucis aliis, *a priore* verisimillimum est. "*Illas causas,*" ait clarissimus semperque lugendus Calebus Hillarius Parry, M.D., nuper defunctus "*illas causas,* quæ *sanguinis momentum ex confesso augent, hydropem non solum sæpius gignere, sed et etiam, morbum incendere, satis superque constat.*"*

Sanguinis circulantis impulsus præter ordinem auctus, in Theoria Parriana vices insignes quidem præstat; impulsûque huicce ille auctor tum peritissimus cum ingeniosissimus, species hydropis omnes, vel omnino, vel maxima ex parte, attribuit. Effusiones etenim hydropicæ, illo judice, pro actione salutifera, ope cujus, natura circula-

* Vide Parry's Elements of Pathology.

tionis æquilibrium restituere nititur, habeantur oportet.

Scriptori huicce eximio absorptionem inter hydropis causas recensere nolenti, vel neminem vel unum assentire, nullus equidem dubito; morbum attamen actioni vel totius vel partis systematis sanguiferi plus justo auctæ, sæpius jure attribuendum esse, inter plerosque medicos nunc, ni fallor, convenit, eaque de causa, hydrops typum inflammatorium haud raro induit.

Rebus ita sese habentibus, hydrope inflammatoria ægrum tenente, venæsectionem et præ remediis omnibus aliis, ad sanitatem restituendam valere, et vires remediorum aliorum salutiferas multum augere, animus mihi neutiquam pendet. Vasa etenim capillaria præter modum distenta opitulari, ne penes quidem nos est, nisi si arteriarum majorum vires rite diminuerimus. Hinc ratio patet quare, diuretica, hisce in casibus, nisi si phlebotomia usui eorum rite antecedat, ægris parum prosunt, quippe quæ non morbi causæ, at potius effectui obviam eant.

Hydropis species de qua sermonem hic loci habemus, corporis ægri constitutione, causis

morbi excitantibus, signisque, morbo urgente, nobis ante oculos versatis, distinguenda venit. Juniores etenim roboreque corporis præditos, promptius tentat, causæque quæ sanguinis cursum ex confesso perturbant, injuriæ, nimirum, externæ, corporis exercitatio præter ordinem aucta, frigus corpori, plus justo calenti, potissimum applicatum, liquores etiam frigidi, corpore labore calefacto, quantitate nimia, hausti, viam morbo facile sternunt.

Jacobus Home M. D. praxeos medicinæ in schola medica nostra Professor, casûs hydropis, cui frigus corpore ambulatione calefacto applicatum ansas dederat, historiæ memoratu dignæ verbis hic loci legendis, prælectionibus ejus mentionem fecit.

"Miles quidam juvenis commeatu, causâ cognatas visendi, potitus, seque domum quam primum convertere solicitus, iter pedestre magna cum celeritate ingressus est. Corpore exercitatione calefacto, soleque ardente, aquam frigidam copiose hausit, sese attamen ad iter iterum accingens, damnum nullum ex haustu tulit. Intra pauca veruntamen millia passuum,

a vico quo cognati ejus sedem habuerunt, cerevisiam tenuem liberius ingurgitavit; dein stultè, incautèque, paulisper requievit. In iter rursus ingressus est; at spatii reliqui dimidio vix ac ne vix quidem confecto, doloribus abdominis violentis corripiebatur, summaque cum difficultate, vicum assecutus est. Itinere tandem peracto, medicamina quædam sumpsit; paucisque diebus postea, in Nosocomium nostrum Regium translatus fuit, abdomen tumidum evasit, ægerque miserabundus morbo succubuit. Cadavere secto, peritoneum intestinaque inflammatione correpta, fluidumque serosum in cavitate abdominis effusum, adstantibus ante oculos versata fuerunt."*

De indole affectionis, utilitateque a sanguine misso speranda, arteriarum pulsus, plerisque in casibus, nos rite monebunt. Pulsus duros, plenos, celeresque, hisce in affectionibus, sæpius observandos venire, medicique attentionem sibimetipsis vindicare, Doctor Rush nos certiores facit, sanguinemque detractum tunicam coriace-

* Auditor. Prælect.

am albam frequentius induere, medicus idem expertus, fide satis superque dignus auctor est.

Verumenimvero, est et aliud signum quod Joanne Blackhall de Exonia, M. D. auctore medico eximio, morbisque hydropicis admodum exercitato, judice, ad typum morbi denotandum, venæsectionemque indicandam, haud parum valet; mutatio, videlicet, quam urina subit. Medicus hicce, calore admoto, acidove nitroso, oxymuriate hydrargyri, certis in casibus, hydropicorum urinam concrevisse; in aliis vero coagulum nullum, his chemicis testibus, præbuisse invenit, ideoque fluidum hocce excrementitium plus justo albuminis interdum continuisse probe judicavit.

Quin et, quantitatem in urina albuminis, rationem ad alia morbi signa quandam habuisse, actionemque morbosam effusionem hydropicam gignentem ostendisse, auctor noster observavit. "*Veritatem nunquam non sedulo meditandam,*" inquit Blackhall, "*videlicet, sanguinem tunicam coriaceam albam, systemaque totum signa inflammationis certius ostendere, ratione quâ urina in albumine uberior evaserit,* calore-

*que minimo firmissime concreverit subjungere lubet."**

Verumenimvero, quod ad indicia hæcce, de remediis in hydrope adhibendis, e principiis urinæ chemicis, Blackhallio subducta, quidem attinet, experimenta observationesque medicorum aliorum, ea neutiquam prorsus comprobasse notatu dignum est. Quin autem fides, aliqua ex parte, iis jure habenda sit, nullus equidem dubito.†

Phenomenis diversis supra recensitis, morbo hydropico conjunctis et consociatis, sanguinem, ratione ad symptomatum evolutionem rite habita, medicus, detrahi, venamque pro re nata, effectuque remedii iterum iterumque secari jubeat. In hoc etenim statu rerum, ægro non solum, exhalatione morbosa cohibita, venæsectione statim succurritur; sed et etiam, diureticorum viribus, evacuatione hacce, insigniter adauctis, fluidum serosum jamjam effusum, organis emunctoriis, promptius ejicitur.

* Vid. Blackhall on Dropsy, p. 270.

† Vide Dr Abercrombie on Dropsical Affections. E. M. and S. Jour. tom. xiv.

Verumenimvero, etiamsi arteriarum pulsus, ut Rushio olim notatum fuit, sæpius in hydrope et celeres et pleni evadunt, sæpius etiam, vasorum horum ictus et debiles et inordinati, ob sanguinis cursum per pulmones impeditum, fiunt. Rebus sese ita habentibus, pulsus, in sanguine in hydrope mittendo, ne normam semper sequendam, nobis quidem præbebit, quippe qui, sanguine rite detracto, et validus, et magis ordinatus, evaserit.

Morbi hydropici affectionibus inflammatoriis diversis, Pneumoniæ, videlicet, Podagræ, Rheumatismo acuto, &c. sese comites sæpius præbent; affectionibusque hisce, sanguinis detractionem, vel plerumque, vel semper postulantibus, ad remedii hujusce usum, medicus, indole morbi hydropica nil deterritus, confugiat oportet, propterea quod æger, remedio prætermisso, damno longe longeque graviore afficitur, ac si venæsectio in auxilium rite matureque adhibitum fuisset.*

* Urinam in morbis inflammatoriis diversis, in Pneumonia Rheumatismoque acuto potissimum, coagulationem, muriatis hydrargyri sæpius, acidi nitrosi interdum, ac-

In hoc igitur statu rerum, periculo inflammatione jure metuendo, evacuationibus debitis obviam rite eundum est; eoque magis, quod proclivitas ad virium prostrationem gignendam, effusionemque promovendam, cui sanguis missus viam sternere potest, ex confesso, iniqua estimatione olim, certo certius censa fuerat. Causa sententiam hancce certius stabiliendi, historiam morbi Doctori Alison in prælectionibus suis commemoratum heic loci citare liceat. In ægro morbo cordis organico, hydrope conjuncto, sublevando, Professor noster, hisce in affectionibus diris haud inexercitatus, ratione ad malum cordis rite habita, se venam vicies, spatio octo mensuum pertudisse, auditores ejus certiores fecit. Ægrotus morbo et diro et complicato quidem succubuit; tempore attamen ejus mortis, fluidum effusum haud æque abundavit, ac quando Professor Alison ei primum consuluit.

Hisce in affectionibus hydropicis, quæ Scarlatinæ Anginosæ sæpius superveniunt, medici

tione subire, experimentis Domini Cruickshank patet. Vid. Rollo on Diabetes.

diversi venæsectioni arrident, quippe quæ, illis judicibus, et ictus arteriarum pleniores validioresque reddat, et urinæ secretionem ad quantitatem debitam, sæpius sane augeat. Verumenimvero, etiamsi historias diversas, in quibus, sanguinis detractio haud parvo commodo hydrope scarlatinoso laborantibus revera fuit, in commentarios relatas habemus,* morbo hocce urgente, ad scalpelli usum cautius, me judice, confugiendum est, proterea quod vires vitæ ex morbi primarii actione, plusve minusve, plerisque saltem in casibus, prosternuntur.

In ea sine dubio sum sententia, medicumque scalpello in hydrope scarlatinoso, cautissime uti debere, prorsus existimo; minime attamen, in hoc statu, a vena secta, omnino abstinendum est. Urinam etenim, corpore post scarlatinam tumente, quibusdam in exemplis, cum sanguine commistam fuisse, Von Rosenstein nos certiores facit. Hsce in casibus, e re ægri, ni fallor, foret, si vena rite pertusa esset.†

* Tweedie, Edin. Med. and Surg. Jour. vol. xv.

† Vid. Von Rosenstein on the Diseases of Children, Sparrman's Translation, p. 166.

Fluidum idem excrementiale, Burserio teste, in hydrope anginoso " *interdum turbida et fusca, et quandoque omnino suppressa est.*" Hisce in casibus, urinam *colorem aquæ in qua caro lavata fuit, præ se tulisse,* Buserius subjungit.* Quin et, inflammationem internam peripneumoniam utique, œdema scarlatinosum sæpius comitari, auctor idem nos rite monet. Rem ita sese habere, et cadaveribus sectis, et signorum allevatione insigni, quæ usum venæsectionis, sæpius sequitur, Burserio judice, satis superque constat. Auctorem attamen nostrum *de œdemate anginoso calido œdemateque frigido* loqui observandum est. Illud, *œdema,* videlicet, *calidum,* calore corporis aucto, partis affectæ colore florido duritieque distinguendum, ni Burserius fallitur, inflammatorium jure habendum est, eique sanguine misso, remediis que aliis antiphlogisticis medetur; hoc vero, *œdema,* nimirum, *frigidum,* et pallidum, et pyrexiæ expers est, ideoque remediis anasarcæ solitis curandum est.†

* Vid. Burserii Institutiones Medici, tom ii. p. 80

† Vid. Burser. Tom citat. p. 81.

Quin etiam, cadavere post mortem inspecto, pleura inflammatione correpta, parteque ex aliqua, pure, obducta, in conspectum interdum venit.*

Hisce de sanguinis detracti viribus, quibusdam in morbis curandis, opusculi hujusce lectoribus ante oculos positis, sequitur, ut consilia quædam generalia, medici attentione fortassis haud indigna, eâ quâ par est diffidentiâ, judicio eorum permittamus, ante coronidem quam tentamini rudi indigestoque huicce imponemus.

CONSILIA QUÆDAM GENERALIA, IN SANGUINE MISSO OBSERVANDA.

HOMINIBUS diversis, morbis iisdem detentis, remedium idem minime æque prodest, usuique ejus modum, ratione, ad res varias, ægro unicuique proprias, rite habita, medicus adhibeat oportet. Hinc causa patet quare, inter has res ad quas, sanguinem detracturus omni studio in-

* Vid. Blackhall on Dropsy, p. 95.

cumbere debet, I. *Ætatem ægrotantis,* II. *Sexum,* III. *Corporis constitutionem,* IV. *Habitum vitæ,* enumerare, et lubet et forsitan juvabit.

I.—ÆGROTANTIS ÆTAS.

INFANTES ægrius ac adulti sanguinis detractionem ferunt, causaque, ni fallor, in aprico est; irritabilitas, videlicet, major quae, in illa ætate tenera, corpori certo certius inest. Rebus ita sese habentibus, in morbis hisce medendis quibus infantes obnoxii vivunt, sanguis e brachio cautius mittatur oportet. Intra annum post natum primum sanguinis uncias, tres prima vice, mittendas suadere haud me pœnitet; sin autem vena iterum secanda sit, humor vitalis vel fusius vel parcius pro re nata detrahi debet. Quin et, in sanguine, ætate hacce tenera, educendo, hirudines, multis in casibus, scalpello anteferre, me neutiquam piget. Utramque hirudinem, caeteris paribus, unciam sanguinis unam sugere, insuper observandum est.

Verumenimvero, morbos actutos in infanti-

bus cursum suum celerius ac in adultis absolvere, in animo probe tenendum est, propterea quod, in hoc statu rerum, remedium votis medici nequaquam respondebit, nisi si præsidium ab eo citissime petat, eaque de causa, in auxilium promptius adhibeatur oportet.

Sanguinem in senectute, animo invito, detrahere, sunt qui nos rite monent, idcirco quia, hoc in gradu ætatis, viribus vitæ deficientibus, corporis constitutio et damnum ægrius fert, et tardius imperfectiusque detrimentum reconcinnat. Ætate veruntamen provectiores morbis diversis, qui, si venæsectione non iis rite succurritur, exitio ægrotis haud secus ac in juventute forent, haudquaquam immunes vivunt. "*Omnis ætas, omnisque corporis constitutio,*" inquit Doctor Bateman, "*inflammationi obnoxiæ, evacuationes ad eam tollendam necessarias haud minus ferre possunt.*

II.—SEXUS.

Ad ægrotantis sexus ratio quædam habenda est. Quod ad corporis irritabilitatem quidem at-

tinet, feminæ infantesque, multum, ni fallor, inter se consentiunt. Hinc ratio, me judice, patet, quamobrem feminæ, illæ potissimum quæ locum primum obtinent, luxuriæque indulgent, haud æque ac homines, sanguinis evacuationes profusas tolerare possunt.

III.—CORPORIS CONSTITUTIO.

Quin ægri idiosyncrasia, corporisve constitutio propria, quæ in eo inest, viribus remediorum omnium modum adhibeat, vix ac ne vix quidem, dubitandum est; eaque de causa, pro ægris temperamento sanguineo præditis, cæteris paribus, plus ac vel melancholicis vel leucophlegmaticis, sanguis detractus, certo certius faciet.

IV.—HABITUS VITÆ, MODUSVE VIVENDI.

Quin rationes vivendi diversæ et homines causis morborum diversis varie obnoxios red-

dant, et remediorum vires varie afficiant, ne dubitare quidem possumus. Ex illis revera phenomenis, quæ in corporis humani constitutione investiganda, nobis ante oculos versantur, haud pauca, ratione, ad legem econoniæ animalis hancce rite habita, explicatus faciles sane habent.

De provisione, in sanguine mittendo, observationibus hisce stabilita, omnibus, ni fallor, liquet. Medici etenim vel pauci vel nulli sunt, qui artificis pallidi, hominisve vitæ sedentariæ dediti, venam, manu eadem prodiga, secuissent, quâ sanguinem e monticolæ aut ruricolæ robusti brachio, abjecta omní cunctatione, detraxissent.

Corpus, sanguine certis temporibus detracto, humoribus plus justo plenum promptius evadit; eaque de causa, ut ab hac consuetudine magnopere cavendum sit, præmonere lubet forsitanque juvabit. Venam, causâ sanguinis redundantiam præcavendi, temporibus constitutis secare olim moris fuit; consuetudine veruntamen hacce, humores in cumulum accesserunt.

Quicunque etenim, vel a plethora cavere, vel

humorum in vasis circulantûm molem minuere, venæsectione conantur, hoc, ni fallor, male judicant. Votis veruntamen de hac re frui, modis aliis diversis, penes nos est, hique depletionibus sanguinis anteponendi facile veniunt quippe qui exinanitionum hujuscemodi incommodis prorsus vacent.

Inter plenitudinis corporis prophylactica, rationem victûs idoneam, corporis exercitationem debitam, catharticaque in usum pro re nata adhibita, enumerare velim: Hisce etenim, in auxilium, rite vocatis, sanguini abundanti certius ac humoris hujusce detractione obviam eundum est.

Digitalem purpuream in sanguinis detracti locum, summo cum commodo, interdum suffici, quippe quæ, sanguinis motum mirum in modum impediat et retardet, insuper observandum est.

FINIS.